186

Ego Stephanus de Nemitz dictus Dapifer omnibus hoc scriptum cernentibus vel visuris in perpetuum. Actiones quas mundus ordinat in presenti maxime que saluti proveniunt animarum confirmari debent solempniter viva memoria literarum. Ea propter noverint universi quod Ecclesiam in Nemitz dudum a venerabili domino Caminensis ecclesie Episcopo Sigewino cum duobus mansis et tota decima ejusdem ville Nemitz consecratam cujus patronatum hereditario jure nos constat possidere in memoriam nostri et consensu dilecte sive conjugis nostre Dummaslave et amantissimorum filiorum nostrorum scilicet Rosvardi et Venceslai et Mirislai ad honorem Dei et sue dilectissime genitricis Marie contulimus claustro in Bucovia cum omni jure patronatus. Acta sunt hec sub illustri Principe Pomeranorum domino Swantopolco anno quoque gratie millesimo ducentesimo quinquagesimo. Indictione octava concurrente quinto. Kalendas Augusti.